

1978

L

1823

17. 12.

U. a. 11

Libb. med. 4. 70

~~24.~~ 16. V.

h

an 7

DISPUTATIO IX.

DE NVTRITIO-
NIS, AVCTIONIS, FVNCTIO-
NV Mq; HISCE CONIVNCTARVM, AT-
tractionis videlicet, Retentionis, Coctionis, Expulsi-
onis, lege, ratione, ac or-
dine.

In Illustri Academia Iulia 17. Calend. Nouemb.
Anno cl. l. xc. Christi incarnati instituta

Præside

IOANNE VVERNERO Medicinæ Doctore.

Respondente

CAROLO LEONE Vratisl. Silesio



HELMÆSTADII

Excusa per Iacobum Lucium. Anno 1590.

AK



MAGNIFICO,
AMPLISSIMO, NOBILISSIMO, CONSULTISSIMOq; VIRO,
DOMINO ABRAHAMO IENKVVI-
ZIO, INCLYTAE REIPVB. VRATISLA-
uiensis praefecto prudentissimo.

&

AMPLISSIMO, NOBILISSIMO,
PRUDENTISSIMOq; VIRO DOMI-
no ERASMO MOLLERO, eiusdem Reipub. Sen-
natori, patronis & mecenatibus suis per-
petuò colendis.

Debita animi reuerentia

Hæc themata

D. M. C.



Thesis I.



Vtritioni, auctiori; , ratione potius , ac re ipsa distinctis, non minus ac generationi, cum attractionem retentionemq; , tum coctionem ac expulsionem adiunctam esse, in prioribus indicauimus : quæ verò eorundem sit lex , quæ ratio , ac ordo in homine iam genito, specialiter porrò demonstrabimus.

II.

Nutritio, mirandum naturæ munus est, ex alimento, cum calido & sicco, tum frigido & humido accepto, obitum: Hoc quippe eius subiectum est, cui elaborando penitus incumbit, quod conuertit, certisq; ductibus, in singulas corporis particulas fundit ac diducit.

III.

Hæc verò longa, continuataq; coniunctarum functionū fit serie: quarum aliæ sunt remotiores, aliæ eidem propiores.

III.

Remotiores à nutritione functiones, vel coctionem antecedunt vel consequuntur.

V.

Antecedentes sunt, attractio & retentio: consequens est expulsio.

VI.

Attractio fit insita membrorum virtute, ac conuenienti cuiusdam familiaritatis communionem, mediante fibrarum rectarum ope.

VII.

Retentio ingenita continendi facultate, ac fibrarum obliquarum obitur ministerio.

VIII.

Expulsio, fit retentrice facultate feriente, ac expultrice transuersas fibras superius contrahente, inferius dilatante.

IX.

Propior nutritioni est coctio.

X.

Causæ huius vel primariæ sunt, vel primariæ ministræ.

XI.

Primaria coctionis causa est, ipsa partium substantia, calor intus, ingenitusq; spiritus, alimentum retentum perfectè subigens, ac in partis alendæ substantiam conuertens.

XII.

Ministræ vel sunt præparantes, vel saltem astantes.

XIII.

Præparantes causæ, sunt membra vice priore alimentum continentia, quibus antequam ad verum coctionis locum detrudatur, leuem quandum alterationem subitac sustinet.

XIIII.

Astantes causæ sunt membra vicina, qualitatis suæ participationem, membro coctioni destinato, imprimètia: consimili quadam ratione, vt lebeti circumiectus ignis.

XV.

Vtræq; harū pro coctionis varietate, distincte sunt ac varie

XVI.

Coctio ergò ratione subiectarum partiū, quibus frequentatur, distinguitur: & est vel in communem totius corporis commoditatem ac usum instituta, vel suæ cuiq; parti peculiariter ad dicta.

XVII.

Ad totius corporis commoditatem ac usum, vergunt priores duæ: quarum prior in ventriculo est ἐψησις Aristoteli, χυλωσις medicis, qua alimentum assumptum, varium quidem ac multiplex, in chylum, hoc est, humorem candidum, ptisanæ cremori similem, mutatur.

XVIII.

Vbi notandum, duas ventriculo adiunctas esse refectiones aliam è chylo tunicis eius apposito, aliam è sanguine, à venis p tunicas ipsius distributis, deportato: quarum prior, completur, antequam prius pabulum in membris consumptum sit: hanc, vt completa est, altera excipit, quæ eo tempore, quo membra re-

liqua

liqua sanguine nutriuntur, obitur, ac perficitur: quo circa, venter non antè esurit, quàm membra omnia nutrita sint: quippè non antè interno destitutus est pabulo.

XIX.

Minimè porrò est existimandum, tam paruum chyli portionem, ventriculum sibi recondere, vt statim, ac nutritus est, sic cetur, satis enim copioso madidus est succo, vsq; dum suctione siccescat: ante tertiam quare coctionem fames non fit.

XX.

Secunda est in Epate, cuius vi insita, chylus in sanguinem vertitur, vnde ἀμύρωσις dicitur: vbi similiter epar, portionem quandam sibi familiarem, reseruat ac assimilat.

XXI.

Tertia, in singulis est partibus, qua sanguis è venis lapsus, in ipsam partium substantiam, transmutatur ac assimilatur: in qua ipsa nutritionis residet completio.

XXII.

Harum unicuius, sua est παρασκευή, seu mutatio præuia, sua etiam veluti pedissequa, vltioris perfectionis æmula.

XXIII.

Primæ coctioni præuia, est præparatio in ore, ac gula facta, qua cibus non tantum teritur ac molitur (græcis πρῶτη ψίς est) sed leuiter mutatur.

XXIII.

Secundæ coctioni præuia, est mutatio in venis mesenterij inducta, quibus chylus vectus, sanguinis sortitur rudimentum.

XXV.

Mutatio tertiæ coctioni præuia, in venis est exilibus, quibus à sanguinis natura, ad partis substantiam leuior recessus, ac quasi partis alendæ primordium, fieri, incipit.

XXVI.

Vt minimè supposititij foetus, nouis coctionem generibus adducti, acceptandi sint: cum enim potentia distinguantur

per actiones, actiones per opera, in hisce verò membris præparantibus, non sint opera à prioribus distincta, nec coctiones à prioribus specie distinctæ, sunt ponendæ: in instrumentis quippe, instrumentorum resident virtutes: in vnico autem instrumento, virtus vnica, in distinctis distincta. At *περίεσις* illa, à ventriculi coctione non ita est distincta, cum interior ventriculi tunica, ad os ipsum sit protensa, omnibusq; oris partibus, faucibus, palato, superposita. Neq; hic ergò, neq; in reliquis, vbi consimilis est ratio, species noua ponenda.

XXVII.

Primæ coctionis pedissequa, sunt intestina, exiguam coctionis vltioris vim obtinentia.

XXVIII.

Secundæ coctionis pedissequa, est vena caua, aliæq; maiores, in quas dum sanguis ex epate lapsus, fluit, originis natura, ab eodem accepta, eundem alterant ac subigunt.

XXIX.

Tertiæ coctionis pedissequa, est assimilatio perfectissima, sua quaq; parte obita.

XXX.

Tantum de coctione ipsa, ac actionibus eam prægressis, iam de actione eam consequente, expulsionem.

XXXI.

Expulsio est, qua vel materia huic membro inutilis, alij verò vsui futura, transmittitur, vel ut prorsus inutilis, foras pellitur.

XXXII.

Harum prior, est humor seu succus, cuius coctioni destinatus: posterior excrementum est.

XXXIII.

Vtriusq; distinctio, pro varietate membrorum, coctioni adiunctisq; functionibus destinatum, incunda erit.

XXXIII.

Est

Est ergò expulsio, materiæ coctionis primæ, vel secundæ,
vel tertiæ, destinata. XXXV.

Coctione ergò prima peracta, ventriculi os inferius *πυλός* dictum, diducitur, per quod reliquum veluti inutile in intestina transmittitur, ab his exceptum ulterius deducitur, purior quidem portio, per mesenterij venas ad Epar transfuehitur, impurior & fecis æmula, per intestinorum an fractus, ad rectum usq; intestinum mittitur, indeq; corpori molestum, iuuantibus abdominis musculis, ac diaphragmate, ad exitum prouehitur: quod excrementum græcis *σκῶρ, ὑποχόρημα, ἀποπαίτημα, σκαίον σκιβαλον*, dicitur.

XXXVI.

Materia quæ secunda coctione peracta expellitur, duplex est. Prior omnis humor *χυμός* dictus, omnes humores naturales, ac nutritioni accommodatos complexus. Posterior excrementum est, vel humorosum, vel serosum.

XXXVII.

Excrementum humorosum vicissim duplex est, vnum humor melancholicus, à frigidior, crassiorq; sanguinis portione factus, ad lienem rapiendus: alterum bilis flaua, è calidior tenuiorq; sanguinis portione, quasi flammea facta, sua recondenda vesicula.

XXXVIII.

Serosum excrementum vrina est: postquam enim sanguis sincerus, in Epate à recrementis purgatus est, purior ad venâ cauam in conuexo epatis sitam secedit, vbi aquoso & tenuiori sanguini commiscetur, quo tanquam vehiculo, facilè in angustas cum mesenterij, tum iecoris venas prouehitur. Idem humor, quia alendo corpori minimè idoneus est, vehendi functione perfunctus, neq; porrò utilis, à iecoris conuexo, ad renes trahitur, unde mox in vesicam profunditur.

XXXIX.

Tertiæ coctionis materia prior, sunt alijs humores varij à primis

primis distincti, secundarij illis dicti: nobis verò non humores noui, ac à prioribus alimentarijs distincti, sed vel membrum ipsum, (tale eorum Cambium est) vel alimentarij ad nutritionem apti, humiditatum gradus, sunt dicendi: quippe 4. tantum humores sunt ponendi, è communi corporis officina producti, à quibus membra omnia ac singula, aut vnica, aut pluribus mutationibus sunt nutrienda: è quibus vicissim sunt reliqui, via nutritioni destinata: Rores quare quosdam fieri mediæ inter sanguinem & membra naturæ, concedimus: tres verò humiditates reliquas, vel humores non esse, vel si sint, à sanguine non differre perhibemus: ἄλογον enim substantiam locorum varietate reddi variam.

XL.

Excrementum huius duplex est, aliud tenuius, aliud crassius.

XLI.

Tenuius, latente transpiratione (græcis ἀδηνλῶ αἰοθήσθαι Διεπνοή ἐστὶ) halitus specie exhalat: crassius sensili magis motu prorumpit.

XLII.

Excrementum sensili prorumpens motu: vel pluribus partibus commune est: vel certis peculiare.

XLIII.

Excrementum multis partibus commune, sunt sudores, & pili: quorum illi serosi humoris sunt reliquæ, tenui bile perfusæ: hi è fuliginum congectione sunt geniti.

XLIII.

Excrementum certis partibus peculiare: vel est capitis, pulmonis, renum, vesicæ, lienis: vel aliarum certarum partium.

XLV.

Excrementum capitis quadruplex est: vel enim ad nares defluit, Græcis κύροζα, grauedo latinis: vel in asperam arteriam pulmonemq; decumbit, βράγχα Græcis, vel in fauces, gulam, ac ventriculum, prorumpit, κατ' ἄρρηθς græcis, vel ad aures, quod generali nomine βλέννα seu μύξα dici poterit. Pul-

XLVI.

Pulmonis excrementum sputum est.

XLVII.

Renum & vesicæ, ea quæ cum vrinis adhuc secundum naturam (nam hæc omnia si extra modum prorumpant non magis vt puris, vt saniei ac tuberculorum eruptio, inter naturalia excrementa referri poterunt) redduntur.

XLVIII.

Lienis excrementum est, quod in os ventriculi refunditur, à quo vnà cum ficciori eius excremento, per intestina excernitur.

XLIX.

Ad extremum hoc subiungimus: sudorem, vrinam, mucorum per nasum euacuationem, sordium per aures, excretionem de pulmone, &c. euacuationes naturales esse, quæ non semper fiant, sed tunc saltem, quando earum incidat necessitas, profiteamur: prouida quippe natura, non tantum hæc mortalium generi communicauit, quibus nunquam carere posset, sed illa etiam, quibus aliquando ad sanitatem seruandam indigeret.

L.

Tantum de nutritione: iam de auctione, vt breuissimè, sic verissimè, difficilissimam illam, ac tot tantisque seculis salebrosam viam, ingredi conabimur. LI.

Quatuor sunt reuera mutationis genera. I. attinet ad substantiam, & est duplex: alia mutatio est, quando substantia extenditur, quod ccrementum est, altera, cum abolita vna introducit altera: quæ generatio est: differunt verò, quia in cremento, quæ crescit, est & præexistit actu ante ipsum ccrementum: illa quæ est generationis, non est actu, sed potentia, antequàm introducatur, & sit actu. II. in quantitate est, quæ est augmentum siue accretio. III. in qualitate, quam vocant alterationem. IIII. in loco quam vocant motum.

LII.

Age verò videam⁹, cuius nam sint hæc omnia? cui⁹ genus? an formæ? an materiæ? an compositi?

A 5

Mate-

LIII.

Materiam non generari, neq; formam, sed compositum Aristoteles docet rectissime. Addo, neq; tres reliquas mutationes, esse vel formæ, vel materiæ, sed compositi: formæ quippe augmentum tribui nequit, est enim affectus quantitatis. Nulla autem forma quantitas. Dein cum augmentum sit animæ actio, non erit accretio formæ affectus, (anima enim ageret in se ipsam) sed est actio in partem additam, vt totum, cui additur, augeatur. Materiæ non est: quia fit accessio, & attinet πρὸς τὸ αὐτὸ ἔνθ' ἰσότητος ἀρχῆς, id est ante existere illud, cui accedit, quod accedit. Tale verò est compositum.

LIIII.

Sit ergò, fundamenti loco, hoc: augeri Petrum, quando crescit adolescens, non verò materiam vel animam eiusdem: crescere verò sic: nutrimentum in materialem corporis mutari substantiam, & formam suscipere, vt reddatur pars corporis animati.

LV.

Hinc hoc: Extendi materiam non per motum superficiei, sed per additionem nouæ superficiei: quippe quæ antè breuioris erat tractus superficiei, in vltiori postea loco alium reperit terminum: nouam ergo magnitudinem, per nouæ partis acquirit adiunctionem. tunc ergo corpus viuens est verè subiectum accretionis: nam mutatur ita, vt è minori reddatur maior.

LVI.

Nec tamen hæc dum dicimus, formam maiorem minorèq; fieri volumus: forma enim quæ crescit, est eadem quæ erat, sed fit maior æquiucè, & accipit denominationem, ab apposita quantitatis similitudine.

LVII.

Non verum ergò accretionem esse motum localem.

LVIII.

Verum ergò, accretionē esse magnitudinis mutationē: fieri verò hanc mutationem per extensionem: hanc verò per additionem.

Hæc

LIX.

Hæc verò non fit in forma, neq; formæ accidit, sed materiæ quantæ, beneficio ipsius quanti passiuè, ipsius autem formæ, actiue.

LX.

Augetur autem quantum, non quatenus quantum est, sed quatenus habet formam: formæ quippe actio est, quæ dum se extendit in materiam nouam applicatam, promouet sese, non autem augetur.

PROBLEMATATA AD DECLARATIONEM præcedentium collecta.

Non semper sunt in actû, (quem vocant secundum) animæ facultates: non semper intelligimus, non semper locum mutamus, non semper nutrimur: quin sæpè minuimur. Ratio gemina est. I. quia abest finis: sic ergò cum deest mouens, id est, obiectum, desistit auctricis opera: Finis autem est, mensuræ certæ expletio. Expleta mensura, nullus est finis ad explendum. II. à materia: quæ siue desit, siue non habeat proportionẽ trãsmutanti potestati respondentem, potestatis actio, aut nulla erit, aut ad nutum non respondebit: sic in defectu cibi, nullus est actioui locus: sic cum ineptus est ad transformationem: Cessat ergo opera, non tollitur facultas. II.

Cessat auctrix, vbi non est ab his impedita, post tricesimum puta annum, quia non appetit infinitum. Ipsa enim naturalis est. Nulla natura infinita. Appeteret autem si semper augetur: Similis ergo (vt semper) sibi ipsi natura est, cum in hoc particulari, tum vniuersali rerum orbe.

Eadem

III.

Eadem ergò auētrix & altrix facultas est.

IIII.

Neq; facultas plastica, neq; hæc cessat post triginta annos: Carnes enim abscissas reponit, eisq; non sine pristinae figuræ commensu, figuram apponit.

V.

Anima anxie seipsam mouet, à priuatione ad habitum, vt videre est, in repetitione amissarum recordationum: non autem secundum locum. Moto corpore, anima haud se ipsam mouet, sed corpus. Ipsa verò mouetur per accidens, quia à corpore mouetur: motu tamen æquiuoco. Vnde patet non æquè de anima & corpore, clementum dici posse.

Soli Deo gloria.



78L 1823

ULB Halle

3

004 592 395



5b.







h

an 7

DISPUTATIO IX.

DE NVTRITIO-

IS, AVCTIONIS, FVNCTIO-
VMq; HISCE CONIVNCTARVM, AT-
tractionis videlicet, Retentionis, Coctionis, Expulsi-
onis, lege, ratione, ac or-
dine.

In Illustri Academia Iulia 17. Calend. Nouemb.
Anno cl. l. xc. Christi incarnati instituta

Præsides

IOANNE VVERNERO Medicinæ Doctore.

Respondente

CAROLO LEONE Vratisl. Silesio



HELMÆSTADII

Excusa per Iacobum Lucium. Anno 1590.

AK

